Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1743) Livey 1443

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 15. Martii.

M. JACOBO DES PREZ, Doctore Medico, Præſide.

An præcavendis Morbis ex humorum viſcidâ congerie oriundis, Balneum tepidum ex aquâ dulci?

TOTUS homo undique morbus. Vita illius labor & dolor; corpore nudo, fragili & infirmo, quaſi in miſeriam natus; non tamen à naturâ tanquàm à novercâ in terras ejectus: (ut extrà Chriſtianæ Philoſophiæ adyta quidam ſcripsêre) verùm poſt primi parentis reatum, à Deo vindice & ultore pœnis addictus, factuſque ex beato miſer: ut poſt amiſſum felicioris ortûs donum, infelicioris vitæ ærumnas, mortiſque quotidiè urgentis bella ſuſtineret atquè ipſi tandèm, quoad corpus, in prædam cederet, his illiſve proſtratus morbis. Miſer homo! qui priùs amictus lumine, ſicùt veſtimento, in Adamo inobediens factus lucidam amiſit innocentiæ ſtolam, quam pura & ſplendida transfundebat anima. Nunc nudus, ſuæque nuditatis pudens, multo veſtium apparatu (ultrà quod neceſſarium eſt curioſè quæſito) amiſſi decoris, non ingenioſâ, divitique manuum arte, ſed in ſacco, cinere & jejunio, virtutis ope reſtituendi damnum reſarcire dum ſollicitus curat; dum ereptum primo parenti, ejuſque poſteris conſtantiſſimæ ſanitatis donum, ſalubri remediorum arte priſtinæ integritati Adamo ſtatìm à creatione conceſſæ, reſtituere incaſsùm tentat, luctuosâ traducis flagitii labe conficitur; nec aliundè reus, quam quod à patre reo deciduus, inflictas primi parentis noxæ morborum pœnas gentilitiâ miſeriâ perſolvit. Infelix homo! in quo anima quamvis materiæ expers, cælitúſque infuſa: infirmo tamèn corpori addicta, & ad terrena detruſa, quin & corporeis implicita ſenſoriis, pathematiſque, quibus illa exercentur, quaſi totidèm pœnis excruciata, ſuum à cæleſti patriâ exilium, aſſiduis lachrymis habet deflendum: Neſcia etenim quomodò à corpore tangi poſſit, aut ab eodem coërceri, coërcitáque labefactari: corporei tamen clauſtri inquinante contactu fit pœnis obnoxia, authorique ſuo infenſa. Horum ſi illa damnorum memor, hìnc ortûs ſui præſtantiam, illinc ſibi illatas à corpore noxas fuerit contemplata; ſe immortalem cum mortali, inſontem cum reo copulatam; indéque ob nexûs, coalitûſve vix exprimendum contagium, aut propter non ſcrutanda Dei decreta, fuiſſe in reatûs conſortium adductam, nuſquam non habeat lugendum, petendiſque ab Eccleſiâ medelis ſanandum.

QUIS verò enumerare potuerit, quàm variis morbis obnoxius homo? Externis & internis injuriis premitur; ictu, caſu, tetroinſpiratu non raro violatur; in intimo autèm corporis receſſu innumeræ morborum cauſæ ſcaturiunt, quarum impetum nequidem effugiunt, qui in cibo & potu modum ſervant. Manente quippè accuratâ victûs lege, eâque in aſſumptis ſervatâ, non raro tamèn accidit, hæc vel illa rectricis facultatis munia imperfectiùs abſolvi; illatâ nimirùm ſpiritibus, (actuoſis animæ miniſtris) injuriâ. Nos quidem ineluctabiliter immutant aëris intemperies, graviora animi pathemata, nobis congenita morborum ſemina. Aër denſus, craſſus, caliginoſus, & alienâ permiſtione inquinatus, ſpiritus obſcurat, ſanguinem & humores denſat atque labefactat, cor mæſtitia perſtringit, mentem obumbrat, corpus degravat; rerum gerendarum vehementes curæ, domeſticæ ſollicitudines, publicorum munerum onera, aſſidua litterarum ſtudia, ſpiritus functionum naturalium opifices à ſuis muniis abſtrahunt, nativúmque calorem deprimunt: illo autèm depreſſo aut debilitato concoctio læditur, ſupervacuorúmque ſecretio & excretio prohibetur. Suppreſſis vacuationibus neceſſariis, varii, omniſque generis morbi prodeunt; Neque ulla cauſa evidens ad morbos excitandos eſt efficacior & frequentior. Hanc demùm proximè ſequitur excrementorum proventus, à quo morborum cauſa interior exurgit, putredinis & cacochymiæ parens mox futura, niſi dimoveatur & ad vacuationem ſollicitetur.

HUMORUM, nobis jàm genitis ſupervenientium, totóque corpore excurrentium alii ſunt alibiles: alii verò excrementitii. Utrorúmque materia cibus & potus, quorum vitia gignendis morbis pabulum materiamque ſuppeditant. Ex cibo & potu ſimùl permiſtis intimâque fermentatione ſolutis generatur chylus, deindè ſanguis, mox ſuccus nerveus, ſemini analogus, à cerebro per nervos cum ſpiritibus animalibus jugitèr tranſmiſſus, cùm ad motum & ſenſum, tùm ad partium ſpermaticarum alimoniam; iiſdem enim nutrimur, ex quibus generamur; ſemine ſcilicet ſeu ſucco nerveo & ſanguine. Saturato recentis pabuli ſucco ventriculo, chyli per inteſtina delapſi pars purior, lacti analoga, coarctante inteſtinorum niſu, in lactea mezenterii vaſa, ipſiſque appoſitas receptaculi veſiculas ad mezenterii centrum propellitur, inde per ductum thoracicum ad venam ſubclaviam propellenda, ſanguiníque ad cor redeunti commiſcenda. Pars autem craſſior abit in fæces per alvum excernendas. Non raro autèm lacteus chyli ſuccus, hoc vel illo vitio laborans, præſertìm verò lentore aut craſſitie in ipſis inteſtinis, aut intrà lactea mezenterii vaſa ſegnis reſtitat, meatus occludit, ſpirituum ductus intercipit, circuitûs legem interturbat, ſitum rancidamque corruptelam contrahit, nativum partium calorem obtundit, extraneum verò, putredinis authorem, invehit, multorúmque morborum focus evadit. Non diſſimili modo ſanguis legitimo circuitu decurrens, gratum partibus alimentum ſuggerit. Venoſus quidèm in hepate genitus, ibidèm ſua deponit recrementa poſt abſolutam hæmatoſim reſidua & per bilarios ductus in inteſtina eructanda: defluens verò à liene ſanguis vividum jecori fermentum infert, cujus aculeis inſtimulati ſucci toto jecore diffuſi, fæces ſuas excutiunt & deponunt, aptáque fiunt ſanguinis ſplendidioris materia. nulla quippè fit in partibus publicis, totiúſque nutritioni dicatis, humoris alicujus generatio, abſque ſuperfluis fæcibus vi coctionis ſecernendis: qui verò arteriarum eſt ſanguis, in corde quidèm ex venoſo juxtà circuitûs leges ad cor redeunte comminuitur, & in partes minimas conteritur; corde nimirùm, torcularis inſtar cochleatìm, ſpirulatìmque intorti, per reciprocas vices dilatato & contracto. Coquitur verò, ſuámque obtinet geneſim in pulmonibus, ibidémque coctionis & tranſcolationis beneficio, ſua deponit recrementa. At verò in alendis partibus depauperatus, facto nimirùm tenuiorum partium diſpendio, in venoſum percoquitur & firmiori nexu coagulatur; mox tamèn in corde iterùm comminuendus; ſicque per repetitos in corde & jecore circuitus, perpetuò ſolvendus & coagulandus. Quemadmodùm autèm in ventriculo ab inſito fermento ſolvuntur cibi in lacteum chyli ſuccum commutandi, qui deindè mechanicè conſtrictis ventriculo & inteſtinis in venas lacteas, inſtàr lactis emulſi, exprimitur; ſic ſanguis venoſus in ventriculis cordis, tùm ab inſito cordis fermento ejuſdem ſanguinis mixturam juxtà naturæ vires reſerante, in arterioſum ſolvitur: tùm mechanicè per contritionem, corde nimirùm in contractione conſtricto, comminuitur, & in arterias inſtàr ſanguinis tenuitèr emulſi, ad partium nutritionem propellitur. Uterque autèm ſanguis, ſed præ arterioſo venoſus, à legitimâ circuitûs lege recedens plurimas morborum cauſas parit: ex quocumque enim victûs errore craſſus, lentus viſciduſque factus, vel ſtagnat in vaſis, vel eaſmet partes obturat, per quas tranſcolari & quaſi pervio cribro tranſmitti debuerat: hinc jecoris, lienis, pulmonum, aliarúmque partium, tùm publicarum, tùm privatarum obſtructiones, quibus proximè innaſcuntur varia tùm fæculenti ſanguinis, tùm excrementitiorum humorum vitioſa coagula, his illiſve morbis ortum datura.

QUISQUIS imminentes ab humorum vitio morbos avertere, eoſdémque præcavere expetit; eam præcipuè artem excolat, quæ humorum εὐεξίαν, facilémque fluxum promoveat. Illis etenìm ritè commeantibus, blandóque aëris accurſu fruentibus, purum ab impuro ſecernitur; earum ſcilicèt partium interventu, quæ ſecernendis hujus illiuſve humoris recrementis à naturâ fuerunt inſtitutæ, atquè ad id muneris, cùm variâ pororum ſtructurâ; tùm congenito inſitorum ſpirituum fermento donatæ. In arte factis & mechanicis ſola quidèm pororum ſtructura & figura ad cribrandorum expurgationem requiritur, dùm craſſum à tenui per artem ſecernitur: humorum autèm expurgatio, quæ in viventibus, naturâ operante, atquè homogenea ab heterogeneis ad intimos uſque receſſus excutiente ſuſcipitur, longè perfectioris eſt profundioriſque ſcrutationis. Undè autèm hæc naturæ ſuper artem præſtantia? nimirùm à ſpiritibus, ſeù igniculis cuique parti inſitis: ſeù ut vulgò loquùntur Neoterici, à partium fermentis. Quid eſt enim fermentum? fluidum nempè aut mollitèr concretum, ſpirituum ſeminium intùs latitans, vel extrinſecè adveniens. Quarè fluidum aut molliter concretum deſideratur ſpirituum fermentantium ſeminium? nimirùm ut ſpiritus igni analogi, nùnc ſalini, nùnc ſulphurei, nùnc utriuſque æmuli ab anguſtioribus ſtrictioribúſque mixturæ vinculis ſoluti, ſe ſe liberiùs explicent, atquè ad ſua munia exurgant, quaſi evecti atquè expediti; fluidi quidèm, ut in acetoſis: mollitèr concreti ut in fermento à Piſtoribus ad panificium parato. Mollitèr concreti ſpirituum thalami, à quibuſdam moleculæ dicuntur: harum autèm δύναμις & ἐνέργεια à ſpiritibus. Quemadmodùm enim ſeminis craſſamentum, ſpirituſque eidem ſemini inſitus in quolibet ſemine obſervantur, ità & in fermentis ſeù moleculis. Hìnc luce clariùs patet celebrata à recentioribus fermenta, à ſpiritibus minimè diſtingui; nèc fermentationem ab intimâ humorum commotione, & ſpirituum orgaſmo. Actuoſi autèm ſpirituum igniculi ad intimos uſquè receſſus permeant, rorantes toto corpore humores intimè ſubeunt, latentes in abſtruſo fæces expediunt, eaſdémque, fibrillarum, quibus inſident, indeſinenti niſu propulſant. Ex his nemo non colligit ad humorum expurgationem coctionis ope perficiendam unà concurrere partium ſtructuram, tranſcolandis perviam, inſitorúmque ſpirituum ſeminium. Prò variâ autèm inſiti ſpiritûs indole varias quoquè humorum alterationes abſolvi atquè hæc vel illa excrementa ſecerni, quæ nè diutiùs hæreant in inteſtinis, mezenterio, jecore, liene, pulmone, glandulis, aliiſque partibus & ductibus, tepido Balneo ex aquâ dulci parato quandoquè movenda ſunt: quemadmodùm enim vitium capiunt, nì moveantur aquæ, ità & humorum diutiùs torpens noſtro in corpore eluvies. Rectè itaquè fecerit, qui cacochymiæ redundantiâ, ulceroſâque illuvie non inquinatus, ſed plethoricâ vel ad plethoram accedente humorum copiâ, eorumdémque ſegnitie detentus, in tepidarium deſcenderit, genuinúmque humorum motum hâc familiari arte reſtituerit. Illis blandâ ventilatione ſuccuſſis, mollique Balnei calore ad ſuos motus inſtimulatis, ſuperfluum, aut heterogeneum indeſinentèr excutitur; id molientibus ſpiritibus inſitis, aëris & aquæ auxilio feliciter adjutis; utrorúmque concurſu fit puri ab impuro ſecretio, nullis artis viribus proximè efficienda in viventibus. Factâ ſecretione, quæ deficit excretio Balnei opem deſiderat, eamque indicat: teſte enim Hyppocrate; τὰ σώματα χρὴ ὅκου τις βούλεται καθαίρεσθαι εὔροα ποιέειν. Ad excitandum verò facilem humorum fluxum, quid tepefaciente Balneo accommodatius? Hac arte corpore ad εὔροιαν parato, deſiderata vacuandorum excretio ſpontè ſequitur, vèl blando ſollicitata cathartico, quàm mòx cietur. At ſecretionis munus à coctione nuſquàm recedens ſolis naturæ viribus committendum; blando tamèn Balnei fotu nonnunquàm juvandum.

BALNEUM dulcis aquæ, ex Medicorum conſenſu, longè quàm exercitatio potentiùs ſpiracula laxat, humores calefacit, extenuat, fluxóſque colliquat. Ex his fuliginoſos non modò diſſipat è ſummis, verùm etiàm ex intimis corporis regionibus; tenues & fluxos foràs evocat prolicitque ſudores: craſſiores quos non diſcuſſerit, colliquat, humectat, aperit, attenuat, refrigerat, diſtenſiones mitigat, humorum acrimoniam placat: Commodum quidem iis omnibus quorum viſcera citrà cacochymiæ & ulceroſæ redundantiæ labem, humorum lentore aut craſſitie detinentur, melancholicis verò, & craſſo, terrenóque humore oppreſſis, aut hæmorroïdali fæce laborantibus, aridiori ſicciorique habitu ſqualentibus, imprimìs utile, humectando, rarefaciendo, diſſolvendo, diſſipando atquè in tenues halitus convertendo. In Balneum demittendus, intret in Balneum jejunus, alvo priùs ſubductâ, ſi opus fuerit & quidem horis matutinis, ſi ſit vacuandi ſcopus, veſpertinis verò ſi humectandi aut ſomnum conciliandi ſit indicatio. At ſi tabido & extenuato ſucci alibilis anadoſis molli Balnei fotu ſit inſtiganda, duabus circitèr horis poſt cibum lavetur. Qui ad facilem & expeditum humorum fluxum Balneo utitur, unâ aut alterâ horâ tepentibus aquis inſideat, aùt donèc tenui ſudore ſupernæ & infernæ partes madeſcant. Hâc arte ex prudentis Medici conſilio inſtituendâ, alimenti concoctionem, ejuſdem diſtributionem, humorum æquabilem circuitum, excrementorum propulſionem, demùm ſanitatis integritatem, incolumitatémque ſervabit; aut ex humorum lentore & ſegnitie labefactatam reſtituet. Tantæ apud Hyppocratem exiſtimationis erat petitum ex Balneo præſidium, ut non in præcavendis tantùm, ſed curandis etiàm morbis quàmplurimis à divino Sene fuerit præſcriptum, hiſque præſertìm nominibus laudatum. Balneum, inquit, quod compactum eſt, diſſolvit & diſcutit, dolorem lenit, ſputum maturum facit, ac educit, & facilem ſpirationem reddit, laſſitudinem eximit, dum articulos & cutis ſuperficiem emollit; ſed & urinam ciet, & capitis gravitatem ſolvit, & nares humectat: ἀγαθὰ μὲν ὦν λουτρῷ τοσαῦτα πάρεστιν ὧν πάντων δεῖ. His compertum ſit ad ſollicitandum laudabilem humorum circuitum, nullum ſuppeditari præſidium Balneo præſtantius, aut naturæ accommodatius.

Lib. de victûs ratione in morbis acutis.

Ergò præcavendis Morbis ex humorum viſcidâ congerie oriundis, Balneum tepidum ex aquâ dulci.



Aſſerebat Lutetiæ PAULUS DE TOULLIEU, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1691.